

**Positiones inaugurales de incubo ... / publicae & solenni disquisitioni  
exponit Johannes Awen.**

**Contributors**

Awen, Johann.  
Université de Strasbourg.

**Publication/Creation**

Argentinae : Literis Georgii Andreae Dolhopffii, imprimebat Johannes Schültz,  
Anno M.DC.LXVI. [1666]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/a6r6tzze>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

POSITIONES INAUGURALES

*De*

# INCUBO

*QVAS*

PRÆSIDE ET AUSPICE DEO

*Fussu & Autoritate*

MAGNIFICI, NOBILISSIMI  
ET AMPLISSIMI COLLEGII  
MEDICI

In Florentissima ac Celeberrima  
Argentoratensium Academia

*Pro*

Summis in Arte Medica Honoribus &  
Privilegiis Doctoralibus ritè  
consequendis

*Publicæ & solenni Disquisitioni  
exponit*

JOHANNES UBER

Soldinensis Neo-Marchicus.

*Ad d. 12. Febr. H. L. 2. solitis.*

ARGENTINAE

Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFFII,

Imprimebat JOHANNES Schük.

Anno M.DC.LXVI.

110

ESTABLISHED 1800

INGLIS

WATER

MANUFACTURE

OF

PAPE

AND

PRINTING

WORKS

OF

THE

CITY



SERENISSIMO ET CELSISSIMO  
PRINCIPI ac DOMINO,

DN. CAROLO  
ÆMILIO,

MARCHIONI BRANDE-  
BVRGENSI, MAGDEBVRGI,  
BORUSSIÆ, JULIÆ, CLIVLÆ, MONTIUM,  
STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM,  
VANDALORUM, NEC NON IN SILESIA, CRO-  
SNÆ ET CARNOVIÆ DUCI, BURGGRAVIO  
NORIBERGENSEI, PRINCIPI HALBERSTADIENSI  
ET MINDENSI, COMITI MARCÆ ET  
RAVENSBERGÆ, DYNASTÆ  
IN RAVENSTEIN, *etc. etc.*

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

*Salutem & Felicitatem perpetuam*

P.



**ILLUSTRISSIMO TUO, Serenissi-**  
*me Princeps,* NOMINI thefulas hasce inauguales  
 humillimâ animi subjectione consecro, & ad Ve-  
 rendissimos, utcunque tenellos, *Serenissima T. Cel-*  
*situd.* pedes provolutissimus depono; recordatus  
 terræ, quâ fors fatalis me fatum voluit ac natum:  
 Huic enim, cum, Platone monitore, magnam ortûs nostri partem  
 debeamus, non malè colligo, tantandem & *Patribus* ejusdem,  
*Anima Patria,* deberi: Quorum provisionibus atque consiliis,  
 quorum tutelæ ac curis vitam, salutem, securitatem suam ac sta-  
 tum referre, si qua forte ex ignarissimis prætereat quenquam, do-  
 cebitur is certè à vectoribus & nautis, qui Imperatori Rom. se-  
 cundo acclamabant quondam *Per Te, Auguste,* vivimus: Per  
 Te libertate atque fortunis sub vite & ficu nostrâ securi fruimur:  
 Per Te navigamus. Omnino per TE, *Celsiss. Princeps,* & ad pro-  
 tegendum latissimè expansas *Aquila Brennicæ Alas,* quisque nego-  
 tiis suis ac rebus operam adhuc in pace navamus: Per *Illas* & Sug-  
 gestus, & Cathedræ, & Tribunalia resonant: Per *Illas* minimus  
 ego, & indignus tantâ Munificentia, pietatis & artium prima olim  
 jeci fundamenta, & postmodum in scholis Patriæ ulterius doctri-  
 nâ imbuto, Lyceo tandem, non Gvilielmicæ saltem ditionis œcu-  
 menico, quod Berlini est; egregio sanè propensissimi *Vestri, S. S.*  
*P. P.* in rem literariam animi specimini, & præclaro plus quàm  
 Regiæ liberalitatis monumento, quinquennium immorandi fuit  
 copia: ut magis magisque ardua moliri cœperim, & ipsas deni-  
 que Academies cum fructu conscendere valuerim; DEO Auspi-  
 ce. Hinc vides, *Celsiss. PRINC.* quò jure meritoque Tua reposcas:  
 quò debitò omnes omnia accepta, & veluti mutuò concessa *Do-*  
*mino & Creditori Nostro* referre teneamur. Ad fontem, undè ex-  
 eunt, reverti dicuntur flumina. Et agellos cultiores videmus,  
 colono

colono suo fructum facere sexagecuplum & centuplum. Atque in corpore nostro Capiti, & , quæ à Medicis principes salutantur, partibus, omne suum officium minora conferunt membra, cum acceperint istinc. Nec est, quocunque etiam mitto mentem, quod dubitare faciat, quin *Sereniss. Tua Illustritas* adhibitò de mira illa ingeniorum varietate judiciò, Benignis ocellis, & animulò Clementi eum quoque respexerit, qui pro modulo suo, & tamen divinitùs concessò talento, si non fuggerianas confecerit opes; utiles tamen atque honestas, quas citra ruborem offerre queat, fideli tandem sedulitate fuerit lucratus. Nunc amplius nihil addo. Vides probè, S. P. quid sim dicturus.

Non ex temeritate quoque mentem subit præsentis diei memoria, quem aliquoties festivè celebratum memini, ex instructissimo illo Musarum Svecicarum delubro; quòd hoc ipso die, tot tantisque suspiriis & exoptati & dudum expectati *Duorum Magnorum Siderum* Exortus, totius Orbis Zolleriani ruperint quondam nubila, & dissipatis variorum metuum tenebris, post spurcos ac foedos, amœnos redire fecerint dies & placidos: sicque felicissimo *Sui* aspectu vigorem ac lumen reddiderint attonitis, *Astra* Beneficentissima. TE sentio, *Celsissime PR. & Serenissimum Potentissimumq; DN. Parentem, Electorem, Dominos Nostros Gratosissimos: QVOS, Serenissimum* quidem *Parentem*, ante lustra novem, & spatium annum; *Te* verò, *Illustriss. Princeps*, undecenniò nunc finitò, VIII. Id. Febr. propensissimis fatis, ridente Sole, ineffabili omnibus lætitiâ perfusis, benignissimè exclusit Coelum, ac dona, vah! quanta, donavit indignis nobis, immerentibus nobis. Felicissimum diem, nunc pluribus Solibus coruscum! Notetur nobis jam meritissimò jure sacra *Dorotheæ* lux candidissimò lapillò, quâ *Δωρεα Θεῶν* tulimus, cœlestia Pignora. Gratulamur ergò voce maximâ *Celsissimæ Domui Brandenburgicæ*, quòd non salvam modò florentemque *Eam* hodiè intueamur, sed & auctam

egregiè , omnibusque suis numeris & partibus beatam. Vivat  
*Electōr noster Serenissimus* Pius, Felix, Augustus , dum numerare  
 soboles sobolem, & METIPSUM nescire nequit superstitem!  
 Vivat *Electōrissa Serenissima*, vigeat jucundissimè, floreat , fructus  
 ferat! Vivatis, *Fratres Serenissimi*, *Elegantissimum Augustissimumq̃*,  
*Par*, florentes opibus, felices consiliis, invicti concordia! Vive,  
*universa Potentissima & Illustrissima Domus!* Benedicat Tibi Jeho-  
 vah , & custodiat Te: lucere faciat Jehovah faciem suam super  
 Te, & misereatur Tui: attollat Jehovah faciem ad Te, & det Ti-  
 bi pacem! Surge Jehovah, dispergantur inimici WILHELMI  
 tui, CAROLI tui, FRIDERICI tui , & fugiant odio ha-  
 bentes EOS à facie tua! Stent illibata semper, integra semper,  
 & incorrupta Regna Brennica! Fiat! Fiat! Argentinae, d. 6. Febr.  
 Anno 1666.

Sereniss. Vestr. Celsitud.

*Devotissimus ac subjectissimus*

Servus

Joh. Hven.

De  
INCUBO SEU EPHIALTE.

*Proœmium.*

**D**Ivinum illud, plenum rationis & consilii animal *Tull.* à sapientissimis olim *Ægyptiorum Sacerdotibus* adorandum & admirandum appellatum, quem vocamus hominem: μέτρον illud ἀπάντων *Pythagor.* ἑσθια δαυμάτων *Plat.* τολμηροτάτης τῆς φύσεως ἄγαλμα *Ve-*  
*rustis.* *Zoroast.* naturæ deliciae *Plin.* omniumq; consensu mundi epitome atque μικρόκοσμος, licet verendæ suæ majestatis imaginem ubique habeat expressam, lucent tamen in Capite plures divinitatis illius & principatûs animæ radii. Est etenim præstantissimum hoc divinissimumque membrum *Plat.* non modò sensuum sedes, & motuum ἀεθαισθητικῶν artifex; sed & sapientiæ est domicilium, memoriæ, judicii, cogitationum; quibus opifici DEO humanum genus redditur simillimum *Andr. Laur.* Ut non usque adè longè extra oleas vagari videatur *Platoniorum turba*, (quamvis *Galenus* aliam tueatur sententiam) dum cœlo proximum, in editissimo loco Caput situm esse statuit, quòd intelligentem animæ facultatem, tanquam reginam & principem, in sublime attolli oportuerit, ut *Δυμοειδὴς* & *ὀπθυσμικὴ*, tanquam famulæ illi subservirent, ejusque gubernaculò regerentur. Et si penitiùs perlustretur res, est certè equidem in homine caput, quod in mundo cœlum: hoc intelligentiarum (*Aristotelicarum*); illud rationis sedes, & ab *Homero* non inconcinnè ἄργυρὸς dictum; quod ad instar magnæ sphaeræ, ejus influxu ac illustratione inferiora moveantur & sentiant. *Ægyptii*, *Serapidis* simulacro aliàs humanâ specie, pro capite cœlum imposuere; ad innuendam summam capitis & necessitatem & dignitatem: eique *Jovem* Deorum maximum, quemadmodum cæteris singulis membris minores, præfecerunt. Hic sacram *Palladis* arcem *Poëtæ* locant, dum eam è *Jovis* cerebro pronatam fingunt: hic mentis sensuumque est regimen; hic culmen altissimum. A cerebri esu & usu, tanquam re sacrâ, abstinebant *Veteres*; sternutantibus benè precabantur, & genua flectebant: Per caput jurabant; capitisque nutu pacta confirmabant. Et hodiènùm caput, integrum sæpè animal, summam rei & principium denotat. Infiniti laboris & longi temporis negotium foret, mirificissimam capitis fabricæ concinnitatem *dürerianò* delineare peniculò,



peniculô, & stupendi Naturæ operis singulas contrectare partes : Quæ ubertim omnes Conditorem suum loquuntur, tantummodò mirandum. Id monēbo saltem : Quantò supra aliarum corporis partium conditionem evectum, in supremo fastigio locatum est Caput, tantò lapsu graviore ruit, quando è statu suo naturali excidit. Ut nesciam, an Affectus Cephalicos dixerim gravissimos, vel quòd parvis momentis ex homine faciant quasi non hominem, (nam mihi persuasissimum habeo, nec fallar, duco, opinione meâ, longè fore satius, non vivere, quàm epilepticum, apoplecticum, melancholicum, maniacum vivere) vel quòd medendi Artificum spem & expectationem toties frustrentur in cura. De *incubo* apud plerosque despecta res est, ut vel saltem in risum abeat, & lusus tantùm naturæ, atque nocturnum habeatur ludibrium. At omninò ludibrium; siquidem frequentius vexet: ac, teste experiētiâ, fidissimâ rerum magistrâ, & ipsâ ratione, perniciosissimorum affectuum antesignanus est, qui, nî maturè ei occurratur, jocum in serium, & risum in fletum vertit ac ejulatum. Nil tutò, inquit *Alex. ap. Curt.* in hoste despicitur: quem spreveris, valentiozem negligentia facies. Parva sæpè scintilla contemta, magnum excitavit incendium. Quod ego non incommodè de Incubo affirmârim: ut hinc dignum judicârim Symptoma, quod solenni Censuræ destinarem. Annuat Deus auso, idque faustum felixque velit!

THESIS

## T H E S I S I.

**U**T ordine, quem ipsa Medicina præit, procedamus, libet primùm *Thematis* propositi ὀνοματολογία excutere: postea Πραγματολογία enodare: & I. *affectum* ipsum, in quantum fieri potest, *definire*: II. *causas* ejus exponere: III. *differentias* illius enarrare: IV. *signa* diagnostica & prognostica patefacere: V. ad *indicaciones & curationem* accedere; non illam quidem specialem, in qua auxiliorum materia sigillatim omninò tradatur: sed brevitate studiò generalem potiùs, quid agendum saltèm indicantia ostendant, paucis palàm facere.

## N O M E N.

II. Nomina igitur quod attinet, vocatur Affectus præsens frequentissimè *Incubus* seu *Incubo*: aliàs etiam *Suffocatio*, *Strangulatio*, *Suppressio nocturna*: Græcè Ἐφιάλτης, Ἰπιάλτης, πνιγαλίων, πνιγέμων, πνιγμός, ἐνίπνιον, Ἰπιβολή: quòd hoc malò correpti, dum obdormiscunt, se ab aliquo hostiliter invadi, aut alià quâdam mole irruente & *incubante*, opprimi ac quasi suffocari somnient. Germanorum idiomate exprimitur *die Mahr* / *das drucken oder reiten der Mahr* / *das Käsel* / *Nachträsel* / *Nachtmännlein* / *Schrötl* / *der Alp*. Quæ denominationes pleræq; omnes Ethnicorum deliramentum olent, quibus aniliter erat persuasum, à Dæmonibus & Faunis tantùm ita ludi & subsannari semisopitos: *Hipp. Plin.*

III. *Hollerius* memorat, se aliquandò in primitivæ Ecclesiæ historiis legisse, catechumenos *Incuborum* insultibus & variis Dæmonum ludibriis vexari solitos esse, quibus postmodum Eucharistiæ sumptione fuissent liberati. Et *Augustin. Thom. Aq. Sixt. Senens.* & alii meminerunt *Incuborum* Dæmonum, qui, assumtis humanis corporibus, mulieribus sagis se commisceant, & ab incubando ita dicantur; sicuti qui viris magis, & muliebria patiantur, Succubi. Talique è congressu & mixtione primordia sua quondam duxisse gentem Hunnicam, Annalibus est proditum. Verùm an hoc, & quâ ratione fiat, non est hujus loci disquirere, cùm tantùm de affectu p. n. à causis suis physicis proveniente, remediisque naturaliter operantibus cedente, agere nobis sit animus: Cujus talis constitui potest

#### DEFINITIO.

IV. *Incubus est inter dormiendum sensus ac motus, hujus quidem in pectore evidentior, imminutio, cum depravata phantasia, & falso rei gravis corpori incumbentis insomnio, ob impeditam spirituum, obstructis à vapore meatibus cerebri, ad nervos penetrationem.*

V. Est er. *Symptoma* in genere læsarum functionum, præcipuè & primariò animalium. *Morbum*, quem sequitur, statuit *Averrhoës* intemperiem cum materia: Verùm, cùm de causa immediata & proxima sermo est, statuendus potius *Morbus meatuum*, & specialius quidem, angustia & obstructio ductuum seu viarum cerebri, quæ ad initium spinalis medullæ tendunt, & spiritus animales ad organa sensus & motus deferunt.

runt. Hæ enim viæ oppletæ flatibus, cùm impediunt transitum facultatis animalis, (loquimur cum Medicis) consequenter motum & sensum impediunt. *Pars primariò affecta est Cerebrum. Causa.* De quibus omnibus prolixius *thess. seqq.*

### CAUSÆ.

VI. *Proxima.* Cùm communi Medicorum sententiâ sit receptum, spiritus animales sensûs & motûs esse instrumentum, & sensum ac motum sine spiritibus illis obiri non posse; colligimus rectè, spirituum animalium in organis sensus & motus defectum, proximam & continentem læsarum actionum animalium, atque sic ipsius quoque Incubi esse causam. Verùm quidnam sit, quod facit, ne spiritus in organa illa influant, illud est, quod controvertitur.

VII. Antiquorum erat sententia, denegari ac prohiberi spirituum influxum & motum, propter ventriculorum cerebri obstructionem. Præsupponebant enim, spiritus animales in ventriculis cerebri & generari, & contineri, & moveri, atque hinc in nervos influere. Neque ex Modernis desunt, qui in cerebelli ventriculô, principio spinalis medullæ insculptô, quem vulgò quartum appellant, nonnulli ventriculum medullæ oblongatæ nobilem, hosce spiritus seu generari & elaborari, seu colligi autumant: cùm tamen is reverà nullus sit.

VIII. *Varolius* contrà, *Platerus*, *Bauhinus*, & ex Recentioribus alii, diligenti cerebri anatomîâ edocti, pluribus rationibus longè probabilius esse demonstrârunt, non in ventriculis, utpote excrementorum receptaculis, sed in ipsa cerebri substantia molli, fungo-

sa ac porosa, suis membranis conclusâ, spiritus animales generari, (vel veriùs vitales alterari, & ad functiones, animales appellatas, ritè peragendas, præparari) contineri, atque ex hac in nervos transire. Ex quo sequitur, ventriculorum cerebri obstructionem, per se influxum spirituum non prohibere, nec Incubi causam esse posse. Idemque docent in apoplexiâ mortuis observationes anatomicæ, & ipsa *αἰροψία*; ex quibus constat, ventriculis salvis, & vel inanibus, vel tamen non majori solitâ excrementorum copiâ repletis, interiisse homines. Contrâ reperias apud *Vesal.* & *Gvilelm. Fabric.* exempla hydrocephalicorum, qui ipsius cerebri cavitate, & quidem dextrô sinistrôque ventriculô, aliquot mensuras aquæ continuerint, & tamen nihilominus ad mortem usque omnibus sensibus integrè sint usi.

IX. *Vera* igitur & genuina *causa* denegati spirituum in sensuum & motûs organa influxûs, hoc in Affectu, est posteriorum cerebri meatuum angustia, seu principii nervorum in basi cerebri obstructio, facta à vapore crasso.

X. A vapore, inquam, ut materiâ facilè dissipabili; non humore: quùm, ut citò fit, ita citò quoque pereat & desinat paroxysmus. A crassiore autem & graviore vapore: quoniam tamen æger non ita citra difficultatem expergiscitur, quàm aliàs somnô detentus. Obstructio etiam illa non integra est, totalis ac perfecta; sed levis saltèm, imperfecta, partialis atque ita comparata, ut adhuc aliquid spirituum ad subjecta membra penetrare queat. Pars verò cerebri posterior præcipuè afficiatur, necesse est, quoniam ex ea, tanquam

quam fonte principe, medulla oblongata; & ex hac, prout partim est intra cranium, partim extra id, in spina, omne nervorum genus, veluti canales & ductus, sensum & motum, animali spiritu vectore, (ut *Galeni* vestigia multi legunt) seu quasi vectore, ac potius maximè necessariò instrumentò, à cerebro ejusque medullâ, ad partes sensûs motûsque capaces deferentes, ortum ducit.

XI. *Fernelius*, (*Posidonii* forsàn auctoritate, ut existimat *Mercurialis*, ductus) quem *Platerus* sequitur, septum transversum, pulmones atque thoracem in *Ephialte* primariò affici vult, istorumque oppressionis causam statuit pituitam crassam aut melancholiam, per crapulam & cruditatem turgescentem: vaporem autem crassum in fauces & cerebrum exhalatum, vocem suppressere, sensum atque mentem obturbare, & tristia visa offundere. Cui sententiæ calculum suum addunt *Rondeletius*, *Hollerius*, *Duretus* & alii.

XII. Verùm, licet quandoque fieri possit, ut in *Ephialte* recensitæ simul adsint causæ, aut prætereà fumis atque halitibus ex îmo ventre ascendentibus septi transversi motus impediatur; vel fortè crassi cujusdam limosique sanguinis plenitudo circa venarum conceptacula, & membra spiritalia, ex suppressis menstruis, hæmorrhoidibus, vel aliundè collecta, pectori, pulmone, atque adeò ipsi respirationi incommodet: imò & ventriculus non superandâ ciborum copiâ gravatus, diaphragma, ut *Zacutus* opinatur, comprimat. Non tamen proptereà hæc propriè dicti *Incubonis* primæ ac præcipuæ statuendæ sunt causæ; quùm ab aliis

etiam, sine his, fieri possit. Et sanè, cùm non solum motrix respirationi inserviens, sed & quæ vocem promovet, & quæ aliorum membrorum omnium & motui & sensui præest, facultas, non satis sit libera, maximo est argumento, tale quid præcipuè affici, quod harum facultatum sedes & origo est primaria, & actionum earum principium proximum; ipsummet nempe cerebrum. Absolvit prætereà Incubus tempora sua cecleriter: est graviorum cerebri affectuum præfagus atque prodromus: antecessorem ut plurimum habet gravitatem capitis: solutus relinquit post se sibilum atque strepitum aurium; ipsumque ægrum difficulter expergefatum in falso præconcepta opinione. Quæ, quomodò à thorace & diaphragmate dependeant, non video.

XIII. Quòd verò hanc in opinionem inciderrint nominati Viri, causa est, quòd, cùm motus thoracis aliàs in somno etiam superstes sit ac integer, & animali, etiam reliquis membris quiescentibus, valdè necessarius, fiat, ut, quamvis universa facultas motrix lædatur, nihilominus solum thoracis motus, tanquàm summè necessarius, læsus percipiatur. Et hinc sensus gravitatis in thorace, ac si ponderosi quid ei incumberet, oritur.

XIV. *Antecedens.* Vapor modò dictæ obstructionis causa immediata jam futurus, in cerebro consistat, necesse est: in quo vel ob nativam illius debilitatem, aut intemperiem in primis frigidam alicundè contractam, ex alimenti cerebri excrementis solitis sit generatus; vel ex partibus subditis, videlicet ventriculo,

culo, intestinis, mesenterio, jecore, liene, utero &c. crudô, præcipuè pituitosô aut melancholicô humore sensibiliter obsessis, aut immediatè capiti vapor sit communicatus, aut, quod probabilius, vaporosa & flatulenta materia, ut in reliquum corpus, ita cum primis istuc delata.

XV. *Causæ remotiores, procatarctica & evidentes* sunt aëris constitutio frigida, humida, nebulosa, crassa, qualis esse solet hyemalis & austrina. Narrat quidam apud *Cæl. Aurelian.* Romæ aliquandò hunc morbum epidemium fuisse, & publicè grassatum, & non paucos instar pestis jugulâsse. Temperies, præcæteris phlegmatica & melancholica. Frigidorum pariter atque humidorum alimentorum creber esus; nempe piscium, fructuum æstivorum & autumnalium: cibi lenti, viscidi ac glutinosi; cujus generis sunt, qui membranosi, nervosi, tendinosi: flatuosi item, & quicquid est pravum, crassum, concoctu difficile, atque melancholiam ac pituitam generare aptum. Nimia cibi potusque injurgitatio, & hanc sequens cruditas: Undè videmus, temulêtos, bibones, heluones, qui *Horatio* macelli barathra dicuntur, & cruditate laborantes, omnium maximè Ephialti esse opportunos: puerosque, præcipuè *περθυμοτέρως Hipp.* ob *ἀδδὴ φαγίαν*, & indè enatos in intestinis vermes, illô sæpiùs infestari. Atque infantes in cunis patiuntur sub somnum *φόβος* & pavores, Incubo valdè affines, cùm lac copiosius, quàm par est, suxerunt, vel pulticulis farinaceis, minùs ritè concinnatis, aut tamen ultra modum, sunt farcti. Somnus statim à pastu captus: Tum enim, ordiente calore coctionem,



nem, (primò namque mediove somno contingit Incubus) & in ingestum cibum agente, vapores crassiores, majori exsurgunt copiâ, nec, sicuti à vigilantibus, satis discuti possunt: item & cui sub dio & in solo cubantes indulgemus. Cubitus supinus: Eiusmodi enim somnus, inquit *Avicenna*, disponit dormientes ad Apoplexiam, Epilepsiam, Incubum & similes affectus. Rationem dat *Mercurialis*: quia hoc modò materia faciliùs ad nucham, & partes cerebri posteriores provocatur quasi, & movetur. Addi prætereà pro Incubo potest: quòd hocce in decubitu vasa magna in dorso incalescant, & vapores copiosius ad caput mittant: meatus, per quos spiritus tranare debent, non nihil comprimantur & concidant: pectorisque gravitas eò faciliùs obtingat, quàm non ita liberè dilatetur, quàm si in alterutrum latus decumbitur; præsertim in corporibus obesis & pinguibus: collabitur enim quodammodo in sese thorax, & fit angustior. Undè etiam stertor est facilius & crebrius. Balneum frigida. Vita umbratilis & delicata, sedentaria, sellularia atque otiosa. Suppressio & retentio excernendorum & evacuandorum, &c.

XVI. Ut *tota mali generatio* hæc sit. Vapor quidam condensatus, nebulosus, teter & ut plurimum frigidus, vel propriò cerebri vitiò, vel materiâ è corpore inferiore, præsertim hypochondriis, ubi sæpè vitiosorum humorum ingens saburra delitescit, ei suppeditatâ, generatus, sub primum ac medium somni tempus à concentrato calore motus, ad basin cerebri tandem sidit atque decumbit: & sic principia atque exortus

nervo-

nervorum nebulosâ suâ crassitie obstruendo facit, ut spiritibus animalibus via atque aditus intercludatur, quò minùs solitâ ac debitâ copiâ in membra motui sensuique destinata influere, & tanquàm primum ac præcipuum, per quod anima agat, instrumentum, cum singulorum membrorum calido innato juncti, facultates & conservare, &, ut ad actum secundum accedant, efficere queant. Ex quo fit, ut sensus obtundatur, hebetetur & torpescat; motus, præcipuè pectoris, qui continuus est, impediatur; corpusque leviter refrigeretur: quæ refrigeratio sæpè in Ephialte vehementiore, ab extremis pedum partibus orditur, & secundum nervorum ductum, nunc celerius, nunc tardius, ad caput usque recurrit.

XVII. Has læsiones cùm homo semisomnis percipit, somnum excutere, assurgere, brachia movere, fugam capeffere, loqui aut clamare conatur: at, si vapor adhuc sit multus, difficulter admodum id efficit, & incassum aliquantisper laborat, quantumvis anxie laboret; donec tandem impensiore conatu, & accitò præ anxietate calore, flatibusque discussis, & apertis meatibus, ad sese iterum redeat. Interea autem, dùm adhuc dormituriens & dormitillans ita occupatur, varias causas, undè hoc proveniat, comminiscitur & somniat: ( ut enim sensus communis, species sensiles, objectorum imagines, à sensibus exterioribus oblatas accepit, ita easdè phantasiæ suggerit) ut non nisi à ponderoso quodam, thoraci incumbente, se premi, aut ab hoc vel illo hostiliter invadi & suffocari, vel violenter ad Venerem comprimi opinetur. Non secus, inquit

*Sennertus*, ac quibus in aliqua parte causa morbifica, & dolorem excitans, delitescit, & per somnum agitatur: ii se vulnerari, à sævis animalibus morderi, vel aliò modo lædi, aut, sicuti cuidam brevi post factò paralytico accidit, crus lapideum habere somniant.

XVIII. Et quamvis citra omne quidem dubium à respiratione impedita, & gravitatis sensu, triste illud somnium de opprimente aliquo præcipuè oriri certum sit: vero tamen prætereà etiam videtur simillimum, vaporì aliquid in hoc acceptum esse ferendum, ut qui spiritibus se immiscens, prout vel ex humore phlegmatico, vel melancholico resolutus, ita in causa est, ut variæ species per somnum imaginationi offerantur. Et cùm, ex quocunq̃ue horum tandèm etiam sit humore, gravis tamen semper, crassus atque teter existat, spiritusque tantùm turbet, inquinat atque obfuscet, non potest, quin turbulenta etiam, prodigiosa ac tristia pariat somnia: ut homo terriculamenta, & nescio quæ, absurda & formidolosa visa imaginetur ac fungat, & animo anxio inanes figuret larvas; juretque sæpè sanctè, se probè audivisse adventantem, qui stragulis ac tegumentis sublevatis, vel planè submotis, frigidissimâ manu pedem ipsi corripuisset, vel saltem pollicem pedis fortiter strinxisset. Non pauci omni asseveratione affirmant, se hòc malò correptos, vidisse tacitis suspensisque gressibus incedentem, stolâ candidâ amictam, procerioris staturæ fœminam: vel, ut ejusmodi phantasmatum facies & gestus mirificè depingunt, virum atrum, aspectuque horrendum; qui vel sensim sensimque in illos molliter reclinâssent, vel impetuosius aliquoties insiliissent.

XIX. Antiquitas gentilitia, ut de Lemuribus, Manibus, Mormolyciis, Empusis, Pythonibus, Sympythis, Pythonissis ( ut præteream varias illas à Poëtis citra necessitatem excogitatas Diabolorum phalanges; & quorum notitiam ex eodem Ethnicismo nostra quoque ætas traxisse videtur, Lycanthropos, Cobaldos, Homunculos domesticos, i. *Weerwölffey/ Robboldey/ guegey Dalken edder Dellriffen* / & id genus alios) multa nugabatur; ita, teste *Hipp.* etiam hoc malum ad Dæmones referebat: adeò, ut etiam inter veterum Medicorum remedia ad Sympythos, & à Dæmonio obsessos, ad spectra & lemures arcendos & fugandos, ad veneficia, incantationes & fascinationes averruncandas concinnata, non minùs etiam contra Incubum reperias. *Alcinous in Dogmate Platonis*, oracula, vaticinia & somnia esse vult.

XX. Nec nostris temporibus desunt, etiam ex Eruditis, qui tantùm illusiones Satanæ, larvas atq; spectra esse dimicant: Qualia phantasmatum genera *Judei*, eorumque *Rabbini*, plebs supersticiosissima, ex semine Adami procreata fuisse contendunt, centum illis & triginta annis, quibus ab uxore abstinuit, postquam Cain fratrem interfecerat. Proque singulari remedio jubent, septem circulos circum sepulchrum fieri, ne cadaver intromittendum subeant, eoque ad nocendum utantur. Dignum sanè patellâ operculum! Similis lactuca labrorum! Et vulgus nostrum omnem culpam in sagas seu lamias, striges, volaticas, noctivagas, lucifugas, veneficas, maleficas, sortilegas, pharmaceutrias & incantatrices confert; ut, si quis nocte præ-

teritâ Ephialten fuerit passus, certò affirmet, se ab hac vel illa anicula, quæ ipsum occultè fortè & clanculum ardeat, ita esse oppressum. Immò quibusdam in locis vulgariter, sed minùs laudabiliter, conspectâ saltem anili quâdam facie deformi, incubam præ se ferre ajunt: præsertim si supercilia sub fronte coëant invicem, ut interstitium inter ea, quod aliàs dicitur Glabella, conspiciatur hirsutum. Et quibus prætereà aliis interno sci dicant notis, quas referre pudet.

XXI. Verùm, etsi non negetur, Cacodæmonem, cujus magna vis & ex actionibus, quas, non tamen sine permisso divino, exercet, & ex titulis, quos illi Scriptura tribuit, omninò liqvet, etiam in piissimos quandoque grassari, & quomodocunq; vel ipse, vel per satellites suos queat, tendiculas hominibus struere, glaucomata offundere, & in tenebris præcipuè, ac noctu terrorem ac metum cuivis facile incutere; imò, ut existimat *Avicennas*, cui *Mercurialis* & *Sennertus* pollicem premunt, hoc morbô interdum tanquàm instrumentô ad affligendos vexandosque homines uti posse. Tamen, ut posterius hoc non prorsus considerationis est medicæ, & prius illud tantùm sublimioris scientiæ & curæ; ita certissimum est, positis suprâ recensitis, ex natura depromptis causis, cæterisque requisitis naturalibus, non posse, quin ejusmodi exindè resultet affectus: ut adeò tunc aliundè petere rationes, stolidissimum sit. Quin imò ex ipsis etiam Ethnicis fabulosa hæc deliramenta rident, & malum minimè Dæmoniacum, sed potius præludium ipsius Melancholiæ, Epilepsiæ & Apoplexiæ, & rectiùs quidem,

dem, statuunt *Avicennas, Posidonius, Aëtius, Oribasius.*

XXII. Ut hinc rectè *Hollerius* Caput suum de Incubo ordiatur h. m: Incubus, qui ἐφιάλης, Πιβολή &c. dicitur, neque Deus, neque Semideus, neque Cupido, neque Dæmon, (eiusve ludibria ac terricula, neque visiones, afflatus & raptus enthusiastici) neque incubans vetula: Sed Symptoma est, quod ex morbo suo, qui ex causis suis, quæ tantum ex natura ortum ducunt.

### DIFFERENTIÆ.

XXIII. Incubus alius est idiopatheticus, cujus causa & in cerebro existit, & etiam in illo est genita: alius sympatheticus, cujus causam partes inferiores capiti communicârunt. Alius ex pituita ortus: alius ex melancholia. Alius gravior & vehementior, integrum subiens corpus cum levi quodam horrore: levior alius, & tolerabilior, non multum ultra pectus & epigastrium descendens. Nunc brevius durans: nunc diutius. Nunc citius & crebrius insultus suos repetens: nunc tardius & rarius.

### SIGNA.

XXIV. *Diagnostica.* Præsentem qui vigilant, audiunt Ephialte laborantem miserè & anxie quiritare & gemere, vocem edere obscuram, inarticulatam & nihil certi significantem. Ipse æger expergefactus conqueritur, sibi inter dormiendum quid quasi incidisse, & graviter molesteque incubuisse, vel à quodam penè esse strangulatum; ut neque facilè respirare, neque clamare, & alios in auxilium vocare, neque se liberè movere, & onus, quò se gravatum, torpidus, quasi sub velamen-

to, sensisset, amoliri, neque fugere potuisset: donec tantò tandem conatu ac labore ab hoste masculè se tamen vindicâset. Quæ, ut breviter omnia, ita eleganter versibus complexus est *Virgilius*:

*Ac veluti in somnis, oculos ubi languida pressit  
Nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus  
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri  
Succidimus, non lingua valet, non corpore nota  
Sufficiunt vires, nec vox, aut verba sequuntur.*

XXV. His itaque signis faciliè ab aliis Affectibus discernitur Incubus. Sunt equidem, qui eum *Epilepsiam parvam & nocturnam* appellare non dubitant. Verùm multùm inter se hi duo affectus differunt. *Epilepsiæ* enim causa (proxima) est vapor vel humor, specificâ & occultâ vi meninges seu cerebri membranas, genusque nervosum vellicans: undè corpus convellitur, & motu inordinato atq; non voluntario concutitur: functiones animales omnes tolluntur; atque indè post paroxysmum æger nihil eorum, quæ circa se gesta sunt, recordatur. Incubi verò causa tantùm vapor est, isque manifestâ præditus qualitate, minimeque mordaci & acri; introitus in nervos oppilans: undè motûs impotentia, sensusque imminuitur saltèm, & actiones principes depravantur & corruptè fiunt, non prorsus abolentur & cessant: ut etiam, quid sibi in somno contigerit, vel contigisse sint imaginati, id omne ordine aliis referre nôrint Incubum passi.

XXVI. Accidit quoque nonnullis, (Quod *παρ-  
έγως* interseruerim, occasione à præced. th. sumtâ)  
ut interdum sub primum somnum subitò quòdam  
motu

motu, quoad totum corpus semel tantum concutiantur, & in sese quasi corruant; undè lectus etiam commoveatur, & ipsi dormientes excitentur. Qui motus convulsivus non multum videtur absimilis, & procul dubio accidit à vaporibus quibusdam acris ex ventre inferiore ascendentibus, & nervos eorumve principium vellicantibus, sed qui statim evanescant. Sic & exsilimus quandoque in somno vehementer consternati, & sæpè non levi terrore percussi, cum nos cædi, pungi, vel ex alto decidere somniamus. Sed ut hæc sunt motus; & posterius quidem ex mero saltem somnio; prius verò ex causa quodammodo acris: ita facillimè ab iis Incubus discernitur.

XXVII. Ab *Apoplexia* differt, quod in hac denegati spirituum influxus & motus longè plures, eæque (remotiores) aliæ sint causæ, atque animales actiones omnes, motus scilicet ac sensus, non citra gravissimam facultatum principum læsionem, protinùs auferantur, ipsa etiam respiratione quandoque cessante, siquidem *Apoplexia* sit fortissima: sique solvatur, plerumque in paralyin desinat. Quæ de *Ephialte* minimè affirmari possunt. A *Caro* evidenter differt somnò & respiratione: illò in *Caro* graviore ac profundiore; hæc in *Incubo* difficiliore.

XXVIII. Est quoque in *Lethargo* respiratio rara & imbecilla: sed longè prætereà major, imò perpetua ferè ac inexplebilis in somnum propensio, & ut *Celsus* loquitur, inexpugnabilis dormiendi necessitas, cum delirio & læsa memoriâ, lentâque febre continuâ. Quæ *Incubo* non conveniunt.



**XXIX.** A *Catalepsi* sive *Catoche* discrepat, quod illius causa sit vapor fixativus & congelativus, qui figit & immobiles reddit spiritus; eos quidem, qui phantasia, à qua motus dirigitur, ministrant. Qualis vaporum & spirituum natura Chymicis satis nota, qualisque spirituum illorum est, qui in terræ motibus, & aliàs etiam è terræ cavernis, & fodinis metallicis erumpentes, atque in ipso interdum fulmine præsentés, homines & bruta repente rigida reddunt. Ut nota illa *Cardani* historia, de octo messoribus, sub quercu inter cœnandum fulmine percussis, testatur: qui omnes eò, quò discubuerant, situ, gestu & figurâ, statuis similes sunt reperti. Undè rarissimi affectus admiratione dignissima emergunt symptomata, ut omninò hìc τὸ Δείον *Hippocratis* concurrere videatur. In Incubo aliter constitutæ causæ alius effectus.

**XXX.** A *Comate somnolento* seu *Cataphora*, & *vigili* seu *Typhomania* distat Ephialtes, tum causâ, tum accidentibus. Coma enim τῶν ὠδῶν oritur à vi peculiari τῶν ὠδῶν καὶ νερῶν καὶ νερῶν, spiritus animales torpidos & ad actiones ineptos, reddente, ac in vapore quodam residente, qui à venis & toto, in febribus, malignis præcipuè, & quæ κωματώδεις appellantur, vel à parte aliqua vitiosis humoribus scatente, vel ex assumtis medicamentis & venenis narcoticis ad caput elevatur. Hinc diu & profundè, demissâ ferè inferiore maxillâ, & hiante ore dormiunt ægri, atque excitati difficillimè palpebras attollunt, iterumque in gravem somnum delabuntur. Ἄγρυπνον itidem à vapore narcotico, sed simul mentem turbante, aut cui prætereà aliquid ad-  
 jungi-

jungitur, quod vigilandi necessitatem infert, ut inflammatio phrenetica &c. Undè hoc affectu laborantes oculis conniventibus somnum captant, dormire tamen nequeunt; aut si dormiant, mox iterum excitantur, delirant, inepta loquuntur & agunt, corpus variè movent & jactitant, temerè è lecto surgunt, moxq; iterum decumbunt. Ast Ephialtes à causa ejusmodi qualitibus destitutâ, aliaque inferente symptomata, ut thess. de causis. & prima de signis. monstrârunt.

XXXI. Neque putandum, idem quid esse Incubum cum *Sopore gravi*, quem nominant, (graviore quidem, & arctiore, quàm in ipsa Typhomania, cujus habetur species) eorum, qui ad eò diu atque profundè dormiunt, ut ipsis anima è corpore excessisse videatur; somnia mira somniant, & postmodum vigilantes, quæ per quietem viderunt ac audiverunt, ex phantasiæ intentione, quæ, reliquis sensibus feriantibus, circa ejusmodi imagines magis occupata est & fixa, verissima esse credunt, & tanquam vera narrant: quos vulgò *Ἐκστασις* nominant. (Putat è naturali causa tales: nam qui ex virtute superiore fiunt, & ut verè dicti Ecstatici, divini quid patiuntur: aut fortè Cacodæmonem habent vel invitos ludentem, vel ex fœdere optatum *παῖδες*: quemadmodum sagæ in *Sopore*, ut vocant, *Dæmoniaco*, ubi se per aërem ferri, montes & maria transmeare, lautè epulari, choreas ducere, cum Dæmone congregari, atque alia agere putant, & eadem postea etiam vigilantes credunt. Quod quamvis negandum omninò non sit, posse reverà ope Diaboli lamiarum corpora in sublime levare: posse, eò habentis moderante, un-

te, unguentis, nescio quibus, delibuta, admurmuratisque verbis, & ceremoniis nonnullis adhibitis, per caminos evolare, atque ita furcis, scopis, aut phalerato, ut ajunt, capro nigro insidentia, ad loca peregrina, conventicula sua, & comitia nocturna transportari: tamen etiam compertum est, ejusmodi sagas tum temporis in cubiculis, aut alicubi domi suæ profundissimò somnò sepultas, & velut exanimis repertas, & maritos interrogatos, fuisse testatos, uxores suas, quæ se symposiis illis, tripudiis, ac concubitu interfuisset confessæ erant, nunquam lectò pedem extulisse. De iis, inquam, Medici non est agere.) Nam provenit naturalis illa dicta *ἕκστασις* itidem à vapore & somnum inducente, & simul infomnia excitante. Solùm in eo videtur esse differentia, quod hìc, quàm in Comate vigili, somnus sit arctior. Atque habere narcotica quædam vim somnum inducendi, & multa in somno spectra injiciendi, patet ex eo, quod *Prosper Alpinus* scribit, Ægyptios certò affirmare, si affium, vel asis, vel bosa, vel bernavi, vel bers (descriptionem horum medicamentorum narcoticorum allegatus Autor suppeditat) assumant, se plurima pulcherrima viridaria, formosissimas puellas, milites, bella, ignes, urbes ardentes, & varia, quibus delectentur, per somnum videre. Ex his itaque eadem, quæ præcedente thesi fuit, oritur *διάγνωσις*.

XXXII. Ab enumeratis Affectibus in universum discernitur Incubus, quod plerique omnes sint symptomata graviter ægrotantium. Hic verò, testib. *Cæli Aurelii* & *Actuar.* suapte naturâ non admodum pravum vitium, siquidem semel saltè atque iterum contingat: quod-

quodque iis etiam accidere possit, qui adhuc in sanitatis latitudine sunt constituti, & ab optimo corporis habitu, perfectissimaque sanitate, Græcis *εὐεξία* seu *καθ' ἐξιν* dictâ, non multum absunt.

XXXIII. *Causarum & locorum*, undè vapor elevatur, *differentia* è suis signis cognoscitur: præsertim verò ex specierum, quæ per insomnia imaginationi offeruntur, diversâ pro natura humoris qualitate: itemq; ex capitis, ventriculi, hypochondriorum &c. constitutione.

XXXIV. *Prognostica*. Qui pingves, crassi & phlegmatici sunt, otiosi item, crapulæ & ingluviei dediti, pituitosorum ciborum esu delectantur, cerebrum habent frigidum & humidum, chartis impalescunt, & literarum studiis in concubiam usque noctem invigilant, præ cæteris Incubo sunt obnoxii: secundum hos, qui melancholiâ abundant.

XXXV. Si rarior sit Incubus, & à causa externa refrigerante, aut crapulâ continuatâ proveniat, minus perniciosus est. Deterior, & haud contemnendus, si ortus à causa interna perseveret diutiùs, invadat crebriùs: relinquat, & antecedentes habeat tinnitum ac sonitum aurium, vertiginem & dolores capitis, eveniatque partim dormienti, partim vigilantibus. Periculosissimus, si prætereà in ipso insultu videatur semisomno caput leviter concuti; æger præsentiat venturos insultus, & post excitationem aliquantùm stupidus permaneat; sudor frigidus, cordis & membrorum tremor, pallidus lividusque faciei color, aut planè syncope superveniat. Ab hoc enim non difficilis erit via ad Epilepsiam,

lepsiā , cū sc. vapor tandē acquisiverit pravitate, atque *διάθεσιν ὀπιλητικὴν*; aut ad Apoplexiam, cū meatus cerebri fortiū occupārit, & tandem iterū in humorem collectus & condensatus fuerit; aut ad Melancholiam, cū vapor ater exactiū cū spiritibus fuerit commistus. Immō pueros quandoque, & obesos præcipuè, in vitæ discrimen conjicere, & prorsū interimere, multi sunt, qui de Incubo affirmant, idque exemplis probare conantur. Verū Incubum per se, & qvā incubus est, hoc præstare, stante recitatâ ejus definitione, est qvōd negamus.

### INDICATIONES & CURATIO.

XXXVI. Vapor obstruens discutiendus. Humor, ex quo gignitur vapor, evacuandus. Humoris causa, sive ea capitis, ventriculi, hepatis, aut alterius cujusdam membri sit imbecillitas, sive error externus, removenda.

XXXVII. Qvare in ipso paroxysmo excitetur in sese obscure ita ejulans æger, compellatione per nomen proprium, aut agitatione corporis; sed blandâ atque leni, ne ex incusso terrore ac consternatione in gravius præcipitetur periculum.

XXXVIII. Si graviores solitis reversuri sentiantur insultus, citra moram in plethoricis aperiatur vena, vel cephalica, vel hepatica; in mulieribus ex suppressione mensium laborantibus, saphæna. Ubi phlebotomiam administrare non licet, scapulis & cruribus cucurbitulæ applicentur, & revulsioni gratiâ clysteres, ligatu-

ligaturæ dolorificæ, ac partium inferiorum frictions duriores adhibeantur.

XXXIX. Dein præmissis *ἐκκοπωτικαῖς*, quæ primas vias mundificant, humor seu pituitosus, seu melancholicus præparetur attenuantibus, incidentibus & abstergentibus, non omissis, quæ flatus simul discutiant: atque ita agilis reddita materia, per phlegmago-ga & melanago-ga exturbetur. Hæmorrhoides & menstrua suppressa provocentur. Vermes, si adsint in intestinis, necentur & expellantur.

XL. Si materia in cerebro consistat, & metus sit, ne in alium affectum transeat malum, aliquoties per intervalla repetantur *καταρληκία*. Diligens enim ad caput habendus est respectus, & tota cura partim ad inferiora viscera, ventriculum, &, præsertim in constitutione melancholica, ad hypochondria & cor, partim ad affectum cerebrum dirigenda.

XL I. Atque sic post evacuationes universales, docente Medendi Methodo legitimâ & ordinariâ, nunc Caput privatim purgetur errhinis, masticatoriis, & gargarismis, vicibus iteratis. Intemperies corrigatur, ipsumque cerebrum vigoretur ac roboretur; intus decoctis, aq. destillatis & spiritibus, sirupis, electuariis, conservis, conditis, confectis, rotulis, morsulis, trochiscis, speciebus aromaticis, trageis, aliis; extrâ epithematis, fomentis, cucuphis, embrochis, lotionibus, oleis, unguentis, cataplasmatibus, emplastris, suffitibus, odoramentis, balsamis, &c.

XL II. Ventriculus confortandus, & cor, & cætera viscera in redonata *Συμπετερία* per appropriata sua

conservanda, ut in posterum laudabiliùs fungantur officii suis.

XLIII. A cibo sumantur, quæ ascendentes vapores reprimunt, & os ventriculi claudunt: Dum cubitum itur, quæ coctionem promovent, & capiti benefaciunt. Et pediluvia non negligantur; cum vapores à capite revellant.

XLIV. Infantes, qui huic morbo & pavoribus in somnis sunt obnoxii, cum malum plerumque à lactis & lacticiniorum in ventriculo corruptione proveniat, tractentur ita: ut, si lac à nutrice non bonum supeditetur, vel illud corrigatur, vel nutrix mutetur. Si copiosius infantes sumserint lac, parcius posthac præbeatur. Si ventriculus sit debilis, extrà oleo absinth. menthæ, mastichinô inungatur, vel emplastrum aliquod stomachale imponatur. Lac verò corruptum è ventriculo abstergatur melle ros. sol. Non statim à repletionem dormiant, sed hinc indè gestentur, donec cibus descendat. Exhibeaturque interdum ex pulv. ex radic. pœoniæ, margarit. coralliis.

XLV. *Amuleta* commendantur: radix pœoniæ (Antiquis propterea *ἑφιαλθίας* dictæ) de collo suspensa; sed quæ justò tempore sit collecta: corallia rutilantia: lapis chrysolithus auro inclusus, & vel collo, vel brachio sinistro alligatus. Pro secreto quoque habetur pellis lupina, ut inter dormiendum vel capiti saltè sit tegumentum, vel universo corpori stragulum. Et quamvis ea, proprietate juvare videatur, tamen prætereà etiam siccatur & calefacit, *Mercurial.* & sic mani-

manifestè potiùs agit : Laudatur item pecten eburneus, quò sæpiùs comantur capilli, pectine semper versus occiput & in partem posteriorem ductò. Ajunt etiam anisum pulvinari suppositum prodesse ; sed ajunt.

XLVI. *Dieta.* Pharmaciæ auxiliatrices manus præbeat bona & legitima diæta. Nam impura corpora, qvalia pleraque præsupponuntur Ephialticorum, quò plus nutriveris, eò magis læseris, *Hipp.* Quicquid enim extruxerit pharmaciâ, mala diæta iterum destruet. *Ianus Damascenus* tanti diæteticam medellam facit, ut eam pharmaceuticâ & chirurgicâ præstantiorem judicet, & apertè ingenueque fateatur, quòd si solâ victûs ratione, citra pharmacum, mederi liceat, nihil neque prius esse, neque rectius.

XLVII. Aër er. sit lucidus, purus atque serenus, vergens ad calidum & siccum, sive naturâ, sive paratus arte. Valdè tamen calidus etiam est cavendus; cùm & caput repleat, & humores in eo contentos, liqvet & fundat, flatusque excitet, & sæpè malum hoc, quod latebat, detegat. Hinc etiam videmus, eos, qui intemperie cerebri cum pituita laborant, si sub solis radiis morentur, vel caput ad ignem calefieri sinant, pejus habere. Ideoque commodissimus est aër ficcus, qui in alterutra qvalitate activarum non multùm excedat, ad calidum tamen plus, quàm ad frigidum vergat. In melancholia autem eligatur aliquantùm humidior. Vitetur nebulosus, & tetrus halitibus inquinatus, & qui est circa fluvia, stagna, lacus cœnosos, paludes putridas. In locis subterraneis non diu morandum.



randum. Caput æstate leviter tegatur, & radiis solis nudum non exponatur, ut nec lunæ; hyeme benè tegatur, sed non oneretur.

XLVIII. Victus sit tenuis & parcus, in primis cœna. Alimenta sint boni succi, facilis coctionis, nec frigida, nec crassa & excrementitia, nec flatulenta & vaporosa, sed attenuandi vi prædita. Abstineatque æger à multo piscium esu, præsertim eorum, qui carnem molliorem habent; à lacte item & lacticiis, carnibus glutinosis, fumô induratis, animalium annoforum; laganis, leguminibus, fungorum generibus, & similibus. Panis ex bono frumento, sit benè fermentatus, ritè subactus, & coctus cum semine carvi, anisi, & modico salis: commodior est bis coctus. Reliqui cibi condiantur sal. major. roremar. pipere, caryophyll. cinam. nuce mosch: & præcipuè pituitâ peccante, hysop. serpill. satur; melancholiâ; fl. buglosf. borrag. &c: ibique carnes potiùs sint asæ; hîc elixæ. Alimentorum diversitas in primis vitetur. Vinum, cùm caput repleat, parcius sumendum, vel eò tenuiori utendum, aut cerevisiâ tenui, vel aquâ, in qua semen coriandri, anisi, & cinamomum ebullierint.

XLIX. Corporis exercitatio sit paulò vehementior, jejuno stomacho, & recrementis priùs depositis. Somnus moderatior, parcior potiùs, quàm nimius, qui horas septem vel octo non excedat; nocturnus, non diurnus; nec ineatur, nisi duabus vel tribus à cœna horis exactis; ante quem levis deambulatio utilis. Decubitus in somno sit in alterutrum latus,  
non

non supinus. Dormiatque æger capite elatô & rectô.

L. Post somnum, antequam è lecto surgat, pedes, crura, & brachia diligenter fricentur, quâ frictione & calor naturalis excitatur, & fit à capite averfio. Venus immoderata mirum in modum capiti est noxia. Animi affectus, qui spiritus agitare, & turbidiores reddere possunt, vitandi, & maximè mæror, & tristitia, quæ caput frigidius reddunt & debilitant. In multam noctem non lucubrandum. Alvus sit laxa, & nisi respondeat, sollicitetur subindè pilulâ unâ atque alterâ ex aloë ante cibum assumtâ, aut terebinthinâ Cypriâ avellanæ magnitudine eodem tempore deglutitâ, ut primæ viæ mundentur, & vapores ad caput tendentes revellantur. Possentque hunc in usum ejusmodi formari pilulæ:

℞. *Terebinth. Cypr. vel Veneta* ℥ss.  
*aloës rosat.* ℥iij.  
*agaric. trochisc.* ℥iſs.  
 F. pil. mediocres.

Δ. T. Θ.



## COROLLARIA.

### I.

**Λ** *Υπερθεσπία Medicis est species Melancholia, vel Delirium partim Melancholia, partim Mania affine, Insania lupina vocatum, quâ prehensi præposterè ratiocinan-*

D tiocinan-

tiocinantur, ut melancholici omnes, seseq; in lupos migrâsse arbitrantur. Qua de causa domo egrediuntur, potissimum noctu, locaq; petunt solitaria, & circa mortuorum sepulchra versantur, luposq; imitantur moribus & actionibus cunctis: imò affectus quoq; lupinos, & desiderium greges ovium invadendi, laniandi & devorandi obtinent.

II. Eiusdem quoq; in Medicina considerationis sunt Κυνανθρωπία & Γαλεανθρωπία.

III. Lycanthropia, quam Olaus Magnus annuatim in Borussia, Livonia & Lituania sub noctem Nativitatis Christi; & Peucerus, duodecim proximis à Natali diebus contingere asserunt, vel fabulosa est, vel prestigiosa.

IV. Quam Bodinus statuit, & fabulosa, & omninò nulla.

V. Vna enim unius rei, ut tantum est essentia, ita unica quoq; tantum intrinseca & specifica forma, quae illud principium est, quod rei & essentiam & nomen largitur: Et quò sublatò, formati nihil est reliquum. Aliaq; forma semper aliam postulat materiam.

VI. Demones, quantumvis cum sagis, utcunq; fiat, congregiantur, easque, ex propria ipsarum confessione, ut etiam pariant, impraegnent, non tamen generant.

VII. Vna pars princeps, Cor. Arist.

VIII. Tres principes, Cor, Cerebrum & Hepar. Gal.

IX. Quatuor, Cor, Cerebrum, Hepar & Testes. Gal.

X. Omnium verò, & omnium principum ac principiorum summus princeps, atq; primum & unum Principium sine principio, DEVS:

CUI HONOR, GLORIA, ET GRATIARUM ACTIO.

Prestan-

Præstantissimo

# Domino Respondenti

Salut.

**N**ominibus variis velut Incubus indigitatur,  
 Sic etiam varios affectus gignere suevit.  
 Nam cum homines capiunt nocturno tempore  
 somnum,

*Se credunt sevo crudeliter opprimi ab hoste :  
 Et grave onus medio dicunt incumbere ventri :  
 Respirant agrè : sensus hebetantur : & ipsi  
 Torpescunt motus , ut vix evadere possint ,  
 Surgere si omninò cupiant : non edere vocem  
 Possunt , qua valeant mentis benè promere sensa :  
 Longius affectus si perduraverit iste ,  
 Viribus evigilant exsuti & corpore fesso.*

**Hunc ergo affectum, cum tu, doctissime AVENI,**  
*Explanare tuis thesibus jam ritè labores ,  
 Egregiam sanè laudemq; decusq; mereris.  
 Et cum sollicitè consveto more rogâris ,  
 Ut tibi versiculos vellem conscribere paucos ,  
 Non potui genus officii hoc tibi jure negare.  
 Opto ergo, ut dextrè studiis incumbere possis  
 Artis Apollineæ ; verùm non Incubi atrocis  
 Persentire unquam symptomata dira minasve.*

Melchior Sebizius, Med. Doct.  
 & Prof. Com. Pal. Cæsar. Reipubl.  
 Argentor. Archiater, & Capituli  
 S. Thomæ Præpositus.

*Nobilissimo atque Præcellentissimo,*

**DNO. IOANNI AVVENIO,**

Medicinæ Candidato dignissimo, Fautori,

Amico sincerissimo, oculissimo

**JOANNES AVVEN, CANDIDATUS.**

*ἀναγορευματικῶς.*

**AVE, TV VNIO CANDIDE SANANS!**

*Amphimacro - Ionicum*

**T**U rotis pulverem colligis fervidis:  
Oleastrum Tibi nectit Meditrina.

Adjicit de Paro scrupulum Lœmius,

Epidaurum, & quoque Cous Nomopœus :

A. suum non Tibi denegat Pergamum :

Tibi PATRES Venerandi, BENE! Clamant :

Ter, quater gratulor Tî, Coi municeps.

Sibi virtus, Iô virtus, bona merces!

*Ἰωνικίον canebat*

Georgius Franke / C. P. Cæsar.

Medic. C.

\*\*\*\*\*

**T**Erq̄ & quater AVE, dulcissime noster Aveni,  
Artis & ad Medicæ culmina summa VENI!

*sic ἀπολογεῖσθαι*

M. F.

C. F.

**F I N I S.**